

Ab. 127.
29.



Conclusiones

DISPUTATIONIS XIX.

DE EMPTIONE

ET VENDITIONE, ET

quæ ad eandem materiam perti-
nent ex ff. l. & C. titulis.

Quas

Deo Opt. Max. auxiliante
sub Patronico

ORTOLPHI FOMANNI

I. V. D. & P. P. P.

*Ordinarij exercitij gratia publicè proponit
& pro viribus propugnabit*

Adolarius Quetz SaxoHalensis.

Ad Cal. Xbr. horis & loco consuetis.

Cic. 3. offic.

*Tollendum est in rebus contrahendis omne mendacium,
non licitorem venditor nec qui contra se liceatur
emtor opponet, uterq; si ad loquendum venerit, non plus
quàm semel loquetur.*

J E N Æ

Typis Tobiaë Steinmanni.

Anno 1599.



Viro prudentissimo &
integerr.

D. IOHANNI QUETZ
AMPLISS. REIPVB. HALENS.
Col. Parenti suo debito pietatis
cultu honorando.

S I *N* *A* *T* *V* *R* *A* dedit quid, si *C* *V* *L* *T* *V* *R* *A* Magistri,
Et *S* *C* *R* *I* *P* *T* *V* *R* *A* frequens quia mihi in arte tulit,
Eius, chare parens, *F* *O* *E* *T* *V* *R* *A* *M* iure reposcis
A me nec potior, cui tribuatur, erit.
Tu Genij Genitor, cultura ductor & auctor,
Mecenas promptus iam Themidosq; mea.
Quare, materia, qua nostro è iure petita
Vtilis, haud facilis, *T* *H* *E* *M* *A* *T* *A* prodo, cape.

offers
Adolarius Quetz,
Filius,



I.



Um nihil sit Emtionis-Venditionis *Origo.*
contractu in commercijs humanis,
commodius, justius, aut æquabilis,
non immeritò gentes usu & humanis
necessitatibus exigentibus, hunc rebus
distrahendis adhibuère, frequentissimeq; exercuère.

II.

Est autem Emtio Venditio contractus solo con- *Definitio.*
sensu de re certo precio habendâ initus. Quorum il-
le qui mercem tradit Venditor, qui premium dat
Emtor dicitur: Quanquam emere & vendere pro-
miscuè in jure usurpata reperiri, cum alijs Arius Pi-
nel. velit.

III.

Celebratur Emtio Venditio cum inter præsen- *Divisio.*
tes tum inter absentes per Epistolam aut nuncium:
Quod si verò contrahentibus libet Scriptis eam
perfici, non prius validus est contractus, quàm instru-
mentum sit confectum. Hinc alia in Scriptis, alia si-
ne Scriptis Venditio constitui potest.

h. l. 3. c. 1. 32 f
115

IV.

Inire possunt hunc contractum omnes, qui na- *Efficiens.*
tura consentire, nec lege prohibiti reperiuntur. Ex-
cipitur pater & filius, quo ad bona in quibus patri
acquiritur ususfructus.

V.

Nec inter tutorem & pupillum constat hic con-
tractus, nisi alius contutor, & decretum judicis in-
terveniat,



terveniat: Sicut etiam non contrahitur inter Magi-
stratum temporarium, & subditum.

VI.

Sed inter Virum & Vxorem Emtio Venditio
prohibita non est nisi forte fiat animo donandi. Quid
de procuratore, num & is res domini vendere po-
test? Non repugno, si sit datus cum liberâ bonorum
administratione. An verò necessario vendere cogi-
tur qui rem venalem habet? Negant contra Br.
communiter Dd, cum Zas. distingvimus.

VII.

Materia.

Omnia autem rerum, quas quis habere, vel
possidere, vel persequi potest Emtio Venditio rectè
fit, cum ^{ex contractu} præsentium, tum futurarum ut fructuum na-
scendorum, partus ancillarum, foetusque pecorum
edendorum; quibus tamen semper subest hæc taci-
ta conditio **SI RES EXTITERIT**, quâ deficiente, con-
tractus nullus censetur. Secus verò in emtione re-
rum alex expositarum, veluti Missilium, capturæ pi-
scium vel avium: De quibus statim valida est con-
ventio, licet nihil incidat aut capiatur.

VIII.

Principali vendito, accessorium quod ei cohæ-
ret simul venditum intelligitur: Vt puta, si domus
distrahitur, omnia quæ domui affixa sunt, & ad usum
ejus perpetuum inserviunt, unâ divendita putantur.
Num igitur Vendito castro vel sacello Iurisdictio
cohærens, & jus patronatus venditum censebitur?
Affirmativam tueri cum Menoch. conabimur.

.IX

Neque enim corporum tantum, sed & juris
Emtio

19
Emtio V. est, veluti hæreditatum, actionum, Servitu-
tam: Hinc gravis est Dd. conflictus: An ad emto-
rem jus accrescendi transeat? Stabimus à parte ne-
gantium. Item, Num annui redditus vendi possint?
Affirmabimus si justam pensionem non excedant.

X.

Emi Vendi quoque potest res aliena, quâ alie-
natione usucapiendi conditio in emtorem transfer-
tur. Verùm à fisco emens rem alienam vel commu-
nem, statim est securus, haud aliter, atq; si præscri-
pserit: quamvis domino rei adversus fiscum intra
quadriennium sit regressus.

XI.

Liberè quis de jure civili sine liberorum con-
sensu bona avita extraneo vendit; Iure Saxonico fi-
lius extraneo præfertur. Iure civili semetquis ven-
dere potest, secus de jure Saxonico.

XII.

Si contrahentes in mercis principalis corpore
vel materiâ dissentiunt, emtio nulla est: Secus si in
nomine tantum vel in qualitate, vel in accessorijs er-
ratum sit. Atque hac ratione conciliandam esse ex-
istimamus L. quid tamen 14. & L. cum ab eo. 41. in
fin. ff. De contrah. emt.

XIII.

Porro, ut hic contractus ritè constet, ex utriusq;
tam Emtoris quàm Venditoris parte consensus, tum
in [eandem mercem, tum in idem precium] inter-
veniat oportet. An obscuram locutionem contra
Venditorem interpretamur? Ita: quia in ejus pos-
testate fuit, legem contractui dicere apertius.

A 3

Preci-

Res em-
communi h. l.
3 c. 37 f. 10

lib. 18 pand f. 4
f. 19

Forma es-
sentialis.
lib. 3. c. 1. 32 f. 109

XIV.

P ex conuen hōne

Precium deinde requiritur certum, & in numeratâ pecuniâ consistens. Vnde quæsitum fuit: Si quis partim pecuniam numeratam, partim fundum det, num contractus Emptionis vel permutationis celebratus dicatur? Nos si utriusque æqualitas apparet in dubio permutationem esse contractam, cum Ario Pinel, concludimus.

*hū in scripturis vix
ap. Tr. l. 1. §. 2.
a. sup. 30.*

XV.

Quid si ab initio pecunia numerata promissa, & postea solutio in alia materia sequitur? prior contractus in suâ formâ manet. An verò est emtio facta si ita fuerit definitum precium: PRO PRECIO QVOD IN ARCA HABEO? Afferimus.

XVI.

lib 18 pand 1-5-f 13

Potest etiam precij constitutio in extranei arbitrium conferri, & dum Venditio efficitur condicionalis, ut illo demum arbitrate constet.

XVII.

In disquisitionem & illud venit, sitne in casibus in quibus coacta Venditio admititur, justum precium persolvendum? Affir, etiam principe non excepto.

XIIX.

Naturaliter autem circumvenire contrahentibus concessum est, modo dimidium justæ læsionis non excedat. Quid si error sit circa precium? Contractus impeditur.

XIX.

Cumque in precij quantitate nihil intersit, uno etiam numo Emptionem, nisi donatio subsit, rectè fieri, cum Fabian, de Monte S. Sabini contra Bocer, concludimus. Acce-

Accedunt insuper & alia quædam huic contractui, utpote, Arrhæ: quas si emtor amittere, vel venditor duplicatas restituere vult, num à perfecto contractu resilire poterit? Affirm. Dd. communiter; Idque in praxi receptum esse Gomez ait; quam sententiam & nos defendemus.

Forma accidentalis.

XXI.

Adijci deinde solent Emtioni Venditioni varia pacta ex quibus frequentissima sunt, additionis in diem, commissorium, & de Revendendo. Hic gravem committunt pugnam Cujac. & Robert. Num scilicet interdictum vi aut clam competat ei, cui in diem fundus addictus, & interea precatio traditus? in Cujacij castra cum affirmante parte transcendimus.

r.

ita tamquam ut correptionem fore hinc in l. 15. §. 12. §. q. vi. aut. clam. immo admittimus.

XXII.

Multis item dubium fuit, num pacto additionis in diem purè facto, transferatur dominium, absq; novâ traditione? Afferimus; Num pactum commissorium in pignoribus, ante constitutionem Imperat. Constantini in L. fin. C. de pact. pign. prohibitum fuerit? Negamus cum Pinel.

in conditionem

XXIII.

Insignes etiam de pacto, Retrovendendo occurrunt controversiæ; Nempè an hoc pactum sit personale? Num possessio & dominium in emtorem transferatur, si hoc pactum intervenit? Affirmativam utrobique amplectimur.

Huck in M. Resp. II. H. B.

XXIV.

Num hoc pactum ad heredes transeat, & extraneo cedi possit? Affirm: An item 30. annorum præscriptionem admittat? quod negamus.

Finis



XXV.

Finis.

Finis Emptionis V. est, ut necessariae res inter homines communicentur, & perpetuam pecuniae aestimatione difficultatibus permutationum subveniatur.

XXVI.

Effectus.

Simulatque enim de re & precio inter contractantes convenit, Venditor ad illam tradendam, emptor ad hoc dandum illico tenetur. Numne praecise tradere tenetur Venditor, an vero praestando interesse liberatur? prius asserimus, modo tradendi facultatem habeat. An vacuum possessionem tradere obligatus est? Maximè.

XXVII.

Ac ante traditionem quidem dum res est in eius custodia, de dolo & levi culpa non etiam levissimam tenetur. Re vero traditam Evictionem emptori praestat, si illa vindicetur. Quod sane beneficium an favorabile sit vel odiosum dubitatur? Odiosum puto. An in datione in solutum & permutatione obtinet? Affir.

si emptionis hinc
ubi facta lib 3. c. 1
19 f. 11

lib 21 p. 104 t. 2
p. 1. 2

XXIIX.

Perfectam emptione regulariter periculum & commodum rei venditae ad emptorem spectat, licet periculum re nondum traditam Venditoris esse quo ad precium Cujac. minimè contemnendis rationibus statuatur.

XXIX.

Sanè Venditione non purè, sed sub conditione factam periculum rei venditae, ante conditionem impletam ad Venditorem, post impletam, ad emptorem, si res emta interit, spectat.

Est

19.
XXX.

Est & ex conventionis qualitate æstimandum, cujus sit periculum: Vino enim per aversionem vendito periculum est emtoris: Secus si ut prius degustetur contractus initus, quia ante degustationem venditoris erit periculum. At si ad mensuram vinum distractum, ante & post degustationem Venditori vinum perit, donec ad mensuratum sit.

XXXI.

Tandem Emtori & Venditori jus suum persequi volentibus competunt actiones Emti & Venditi. Hinc Emtor fructus & accessiones rei venditæ à tempore contractus perceptas, & equo emto, capistrum, & alia ornamenta quibus decoratus erat equo tempore contractus: quin imò vaccam sibi comparans vitulum ejusdem ante contractum natum, si difficulter separari potest, & lactatur, rectè petit. An igitur similiter Venditori à tempore contractus usuræ debentur, si nec traditio facta sit, nec mora inter-
venerit? Nego.

XXXII.

Ad ea quæ commendandi causâ in Venditionibus dicuntur Venditor non obligatur, si apparent.

XXXIII.

Proxima Emtioni & Venditioni est permutatio, Locatio Conductio. At quomodò accipiendum id, quod vulgò dicitur *Kauff gehet vor Miethe*. Locator conductori hoc casu recedenti ad interesse quod ex re conductâ, si ad finem usque eâ uti licuisse consecutus fuisset, obligatus est: teste Daniel. Moller. 4. Semest. c. 14.

B

Rescind

XXXIV.

Contraria

Rescinditur Emtio Venditio latione ultra di-
midium iusti precij per L. 2. C. de Rescind. Vend.
Cujus beneficium an & olim obtinuerit & Iuris co-
gnitum fuerit, atque ad emtorem etiam pertineat,
controvertitur? Vtrumque Affir.

lib. 3 c. 1. 38 f
39

XXXV.

Neque modò in Emtione & Venditione, sed &
permutatione Locatione & Conductione id reme-
dium locum habere contra Cujac. asserimus; Mini-
mè verò in transactione aut donatione.

lib. 3 c. 1. 38 f 29

XXXVI.

Quæritur: An huic remedio locus sit, si Ven-
ditio decreto & auctoritate iudicis facta sit, & à Iudi-
ce, nec non scabinis ejs res æstimata & sub hasta ven-
dita fuerit? Num item inter res mobiles & immo-
biles venditas distingvendum? Vtrumque nega-
mus.

lib. 3 c. 1. 38
f 41

C O R O N I D E S.

I,

NVmus an Iure gentium, an verò civili inventus?
Iure gentium arbitramur inventum esse.

Pinel. ad rubr. l. 2. C. de Rescind. Vend. p. 1. cap. 1. n.
7. & n. 27. per §. ius autem civile, vers. quod verò Inst.
de Iure nat. gent. & civil. Et auctoritate sacrarum lite-
rarum Genes. cap. 23. vers. 15. & seqq. Ierem. cap. 32.
vers. 10. & seqq. Dissent. glos. in l. eas verb. pro dote ff.
de capit. minut. Mud. ad l. 1. de Cont. emt. n. 5. Hispa.
Covarru. in lib. Numismat. ad Frat. Tiraq. de retract.
ligna. §. 1. glos. 20. n. 9. per l. 1. de cont. emt. in verb.
olim

olim non ita erat numus. Et auctoritate historiographo-
rum, atq; aliorum Scriptorum, ut, Plin. lib. 33. de hist.
nat. c. 1. & 3. Polydor. lib. 2. de invent. rerum c. 20.
Lucretij. lib. 5. dicentis:

Posterius res inventa est, aurumq; repertum
Quod facile & validis & pulchris demsit honorem.

II.

Numus an ex materiâ, an verò ex formâ cen-
seatur & valeat? Ex formâ, verius est.

per l. 1. de Cont. emt. ibi, forma publica. Vide Pinel.
& ab eo allegatos in rubr. C. de Rescind. Vend. p. 1. c. 1. n.
25. Dissentire videtur Br. in l. 1. De cont. emt. & in l. ex
hoc iure ff. de Iust. & iure n. 8. Paul. de Cast. in d. l. ex
hoc iure n. 29.

III.

An quælibet Respublica possit sibi monetam
cudere? Negamus.

Argumento l. 1. de Constit. princip. & tenet glos.
recepta in rubr. C. de iure Reip. in fin. & in l. si. C. de fals.
monet. c. 1. verb. moneta. Quæ sint Regal. Panorm. in c.
quanto. De iureiurando. Dissent. quidam quos refert
Alberic. ad l. 1. de Cont. emt. in verb. publica forma.

IV.

An princeps possit majorem pecuniæ valorem
constituere, quàm valet metallum vel materia ad
pondus? Affir. Si subsit justa causa, ut puta, ne ex-
tra regnum feratur.

Molin. De commerc. q. 110. n. 298. per glos. l. 1.
de Cont. emt. in verb. præbet. Quam refellit Covarriv.
d. l. Numism. ad Frat. c. 7. fol. 49.

V.

An Vasallo feudum vendere volente remotiori

B 2

agnato,

agnato, multi agnati propinquiore, ejusdem tamen gradus, remotiori agnato simul omnes præferantur, an verò unus tantùm? Omnes præferendos concludimus, ita, ut uno consentiente reliqui pro parte revocandi potestatem habeant.

Bl. inc. 1. §. hoc quoq; n. 17. vers. septima conclusio est. De success. feud. per tex. l. filius familias 117. §. Divi. ff. de Legat. 1. & l. cum pater 79. §. filia ff. de Legat. 2. Iacob. de S. Georg. in tract. feud. ad verb. cum pacto. De non alienando &c. n. 31. vers. in ista materia. & n. 33. vers. Secunda conclusio. Iacob. Thoming. Decis. 43. n. 7. per c. 1. vers. his verò deficientibus. De Success. frat. vel grad. succed. in feud. &c. Dissent. glos. in c. §. Sed etiam res in verb. proximiori in princ. per quos fiat invest. Tiraq. in tract. de utroq; retract. p. 1. §. 11. glos. c. n. 20.

VI.

Si Studiosus civi rem alienam vendiderit, & dominus eam ab emtore vindicet, quæritur, coram quo iudice Venditor de Evictione conveniri possit, num coram Rectore, an verò prætore urbano? Distingvimus inter jus Civile & Saxonicum.

Iure Civili Venditor cogitur sequi forum emtoris, adeoq; Studiosus se sistet prætori per l. 49. De Iudic. l. 1. c. ubi in rem act.

Secus de iure Sax. ubi per 14. dietas emtor forum Venditoris sequi tenetur, adeoq; civis Studiosum coram Rectore conveniet. Reinhard. 2. lib. p. 1. diff. 27. per art. 36.

lib. 2. Landrecht. vers. Sage aber sehner/2c. Et in differ. Zobelij p. 2. diff. 31. n. 16.

pag. 320.

F I N I S,

Kc 3192

8^o


(X2217985)

VO 12

MC







Conclusiones

DISPUTATIONIS XIX.

DE EMPTIONE

ET VENDITIONE, ET

quae ad eandem materiam pertinent ex ff. l. & C. titulis.

Quas

Deo Opt. Max. auxiliante
sub Patronico

TOLPHI FOMANNI

I. V. D. & P. P. P.

navij exercitij gratia publicè proponit
Et pro viribus propugnabit

Polarius Quetz SaxoHalensis.

ad Cal. Xbr. horis & loco consuetis.

Cic. 3. offic.

*non est in rebus contrahendis omne mendacium,
licitatorem venditor nec qui contra se liceatur
opponet, uterq; si ad loquendum venerit, non plus
semel loquetur.*

F E N Æ

Typis Tobiaë Steinmanni.

Anno 1599.

